

1339

I C O D I C E S

1340

me meriti vitam, quam ad an. 1464. produxit, et opera habes in *Scriptt. Univ. Vien.* P. I. p. 139. ubi et Scripti nostri ex *Cod. Mellicensi* fit mentio.

Thecae anteriori praesentis intus adscriptum legitur: *Hunc librum testatus Monasterio s. dorothee in wienna egregius doctor sacre Theologie et arcium Magister narcissus hercz de perching cuius anima requiescat in pace qui fuit specialis fautor monasterij.* Fuit *Narcissus* ab anno 1418. quater Philosophiae Decanus, anno 1423 et 31. totam Academiam rexit, et ad D. *Stephani* Canonicus diem claudit a. 1442. Unde liquet, Opusculum *Haselbachii* Codici ferius inscriptum fuisse.

CCCXLIII.

196

Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 124. f. per duas columnas a diversis scriptus et olim ad *Conventum Vienn. Fratrum Praed.* pertinens continet sequentia: I. *Incipit Tractatus de actibus elicitis et imperatis de lecturis fratris leonardi de ualle brixinensi ordinis predicatorum.* Orditur: *Prima inquisitio. Que sit voluntas deliberatiua uel deliberata &c.* De *Leonardo* hoc, ejusque opusculis, agit *Quetifus* in *Scriptt. O. P. T. I.* p. 816. et 843. T. II. p. 823. sed, quod jam de *Valle Brixinensi* (Brixenthal in *Tyroli*) jam de *Vienna* dictum inueniret, immerito in duos secat. Congerenda itaque in *Unum* sunt Scrip-

ta, quae ex *Lambecio* adfert, quaeque suo loco etiam hic recensentur. Clarebat vero *Leonardus* hic in *Coenobio* et *Academia Vienn.* post Sec. XV. medium. Plura ad *Cod. DLXXXVI.* et seqq.

II. fol. 19. *Incipit Prologus in librum de apibus.* Quem bonum *uniuersale* vocant. *Reuerendo in christo patri fratri humberto magistro ordinis predicatorum Sacerdos humilis, cujus nomen ad praesens non urget necessitas nominari &c.* *Thomas* is est de *Cantimprato*, vulgo *Cantipratanus*, in *Brabantia* natus, O. P. Sec. XIII. Scriptor, qui Opus istud de *Officio Praelatorum et Subditorum* piis fabellis pro aevi genio adspersum *Libris II.* circa an. 1261. exegit. Agunt de eo *Quetifus T. I.* p. 251. *Foppens Bibl. Belg.* P. II. p. 1131. *Fabric. Bibl. med. et inf. Lat. L.* 19. p. 247. Non tamen *Versionis Belgicae* meminere, quae teste *Gerdesio Floril. Libb. rar.* p. 45. et *Vissero* in *Naamlyst* f. *Catal.* Editt. in *Belgio* Sec. XV. factar. p. 26. lucem vidit *Zwollis per Petr. van Os* 1488. f. Codici nostro tantum inest *Liber I.* in cujus calce lego: *Sciunt Fratres carissimi Quod cum Liber de Apibus Rarus existens diu non poterat a nobis obtineri ad transcribendum propter quedam &c.* Tandem tamen ad instantiam affectuosam fratris leonardi &c. (ejus qui supra) *Dominus Magister Martinus abbas Scotorum benedictae memoriae procurauit nobis Exemplar secretius.*

1341

D O G M A T I C I.

1342

cius. Et quia liber edificatorius est multum, debemus non esse difficiles ad communicandum, sicut nobis fieri volumus semper. feliciter in domino semper. Ex quo liquet clausulam hanc adjectam esse post an. 1455. quo *Martinus Abbas 29. Julii* decessit, ut testatur *Job. Rasch* in ferie Abbatum *Scotensium* vernacule edita 1586. 4. qui addit, *Martinum* hunc describendis Codicibus multum occupasse librarios ad restaurandam Coenobii sui Bibliothecam. Sed nempe tunc jam in foribus aderat Typographia. Plura de *Martino Hier. Pezius*, qui ejus *Senatorium* s. *Dialogum historicum* T. II. *Scriptt. Rer. Austr.* p. 623. inferuit.

III. fol. 55. *Fratris Leonardi de Valle brixinensi Inquisitio* Quomodo veritas se habeat ad iusticiam misericordiam et pacem. Et similiter que sit habitudo vnius cuiusque horum quatuor ad singulum alterum ipsorum. &c.

IV. fol. 58. Incipit *Tractatus de diuinis predicacionibus.* Ad marg. infer. dicitur sumtus de *lecturis fratris Leonardi lectoris conventus wien. ord. pred.* et incipit: *Qualiter sentiendum sit ac loquendum de diuinis personis secundum magistrorum et sanctorum catholicas assertiones Dominus Hugo Cardinalis sacrarum scripturarum expositor. et doctor egregius tradit compendiose in tractatulo suo qui incipit Juxta sanctorum tradicionem quem per modum epilogi et excerpti circa lecturam suam super Sententias ordinavit &c.* In hanc igitur

Epitomen commentatur *Leonardus*; verba vero, quae citat, *Hugonis a S. Caro*, exacte respondent initio *Commentarii* ejus in *L. I. Sentent.*

V. fol. 92. Fragmentum *Vitae S. Maximiliani Celejensis Ep.* et M. Incipit: *Maximilianus quasi maxima libans, libare enim duo significata complectitur videlicet gustare et sacrificare &c.* Integram edidit ex *Codd. mfs. Cl. Hier. Pezius* T. I. *Scriptt. Rer. Austr.* p. 22. adjiciam tamen ex nostro locum de *Dioecesi Laureacensi*, qui in quibusdam fincior videtur: *Cuius prouincie termini dicuntur fuisse ab oriente fossatum siluanum, ab occidente flumen lycaos, quod germani lech nominant, et per metas occidentales nappa ekara ordita, a meridie liburnia quam drabus flumen percurrit, ab aquilone autem wandalus pelsa lacus et Tyzza flumen.*

VI. fol. 97. Excerpta quaedam ex *Rabano M. Hugone Postillatore, Rob. Holkot, Nic. Gorrano &c.* de Libro *Sapientiae*, aetatibus *Mundi &c.* in usum *Praelectionum* supra dicti *Leonardi de Vallebrix.*

VII. fol. 111. Excerpta ex *Lectura Magistri Francisci de Retza Ord. Praed. contra peccata et scandala que a multis tempore Carnispruij bestialiter peperantur.* De Etymo germanicae vocis *Faschnacht* vel *Fasching* multa hic ridicula proponuntur: *Videtur dici Vafchank quasi Vachschant, quia iam dissolutio ubique ostenditur*

1343

C O D I C E S

1344

ostenditur &c. Dicitur 2^o *Vaschank* quasi *Vas schank*, quia sicut vas liquore superimpletum effluit, ita hoc tempus quasi vas dissolutione se diffundit &c. 3^o dicitur *vaschanckb vach scham*. *Vach* enim qui destruit templum dei &c. 4^o dicitur *Vaschank a frass* quod est vorare et comedere et *schank* quod est propinare &c. His infra in notis additur: *Vasnacht* sicut dicitur *Cristnacht*, i. *der Vastennacht* i. nox que est nuncium ieiunij. Vel dicitur nox i. profestum vel vigilia temporis quadragesimalis &c. Item *vasnacht* i. *frassnacht* et rationabiliter obmittitur r quia crapula et ebrietate saturati non possunt bene proferre r. Item *vaschank* i. *vasten anfankch* &c. De Autore *Francisco de Retza* Austriae urbecula vide *Quetif. Scriptt. O. P. T. I.* p. 775. et *Scriptt. Univ. Vienn. P. I.* p. 73.

VIII. fol. 114. Adnotata varia Theologica praecipue ex *Rob. Holkot* Anglo O. P. Item fragmentum ex Commento *Balteri* (Gualteri Burleji) in *Etbica Aristotelis* &c.

CCCXLIV.

841 Codex chartaceus lat. germ. Sec. XV. Folior. 180. 8. non una manu exaratus et quondam *Fratrum sancte Crucis in Colonia* sequentia complectitur: I. *Bullam domini Iohannis. XXII. de visione anime*. Id est revocatoriam opinionis suae, qua tenuerat, *Animas Piorum ante corpo-*

rum resurrectionem non fruituras beatifica, quam ajunt, *Visione*. Eam, quod *Iohannes* morte praeventus non poterat, *Declarationi* suae insertam publicavit Successor *Benedictus XII.* Data vero est a *Iohanne* pridie mortis, 3. Dec. 1334. *Avenione*. Pontificat. anno 19. hoc initio: *Ne super hijs que de animabus purgatis separatis a corporibus* &c. *Vulgata* est a *Baluzio* in *Vitis Pappar. Avenionen.* T. I. in *Vita Iohannis* scripta a *Petro de Herentalis* p. 183. sed valde mendosa; correctior apud *Raynaldum Annal. Eccl. T. XV.* edit. *Colon.* 1694. p. 476. ut tamen e *Codice* nostro perfici possit, si annum Pontificatus demas, quem *Librarius* omiffa unitate XVIII. fecit.

II. fol. 3. *Εγχευριδιον* asceticum pia Monita e variis Autoribus lecta complexum, cujus initium: *Anima mea! sit libellus hic in titulum inter Ihesum et te. Primo semper sit in ore tuo Benedictus deus* &c. Comparant *Hugo, Augustinus, Dionysius* &c. et ad calcem: *Anno domini M^o.CCCC^o.LIII^o. In profesto. s. margarete v.*

III. fol. 11. Incipit prophetia *Sibille tyburtine grece albunee latie priamidis regis filie*. Initium: *Sibille grece femine prophetantes dicuntur. quod ob diuinam uoluntatem hominibus interpretari et ventura prenuunciare solebant. Tradunt namque autores X. fuisse sibillas* &c. Fabulosa haec Narratio a quibusdam *Bedae* tributa praefixa est *Oraculis Sibyllinis Serv. Gal-laei Amstelod.* 1689. 4. eruta, ut